



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm**

**Barry, Paul de**

**Monachii, 1650**

Cap. II. De admirandis amoris illecebris, quibus Deus post Iesvm & Mariam, S. Iosephvm præ cæteris omnibus Diuis amabilem reddidit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

cæteræ virtutes, quibus ex omni parte  
resplendet, alijs atque alijs floribus si-  
mul & coloribus agnoscerentur, vt es-  
sent *tot virtutes, quot lilia*. Hic demum  
aspectus adiutus illâ cognitione, quâ  
prius omnes eius prærogatiuas inspe-  
ximus, omnium maximè nobis persua-  
deret, neque in cælis, nec in terrâ san-  
ctiorem vllum Deoq; chariorem, post  
IESVM & MARIAM, S. IOSEPHO esse.

---

## CAPVT II.

*De admirandis amoris illecebris, quibus  
DEVS post IESVM & MARIAM  
S. IOSEPHVM præ cæteris omni-  
bus Diuis amabilem red-  
didit.*

**A**RIAS Montanus, rarū ac pretio-  
sum antiquitatis monumentum,  
in suo conclavi habuit, ab ijs, qui  
illud inspexere, permagni æstimatū. a  
Numisma fuit, quod Hebræi siclum  
appel-

a P. Petrus Monodenses alliances de  
France & de Sau.



appellant, in cuius facie vnâ vas erat  
 expressum illi simile, quo sacrum vn-  
 guentum olim in templo asseruabatur,  
 cum hac epigraphe: *Ad Genealogiam*:  
 in auersâ parte torques visebatur è  
 margaritis per denarios duplici serie  
 distinctis composita, quarum numerus  
 quadraginta quinque efficiebat: in  
 medio verò monili hæ duæ voces le-  
 gebantur: *Tempus unctionis*. Imprimis  
 verò in hac torque memorabilis mar-  
 garitarum numerus fuit: illis enim  
 progenitores Dei Matris ac IESV Filij  
 eius notabantur: quâ verò commo-  
 diori ratione intelligi doceri que se-  
 ries atque successio tam illustrium ma-  
 iorum, quàm pretiosâ illâ margarita-  
 rum catenâ posset? Cur autem omni-  
 no quadraginta quinque fuere? quia  
 videlicet in Christi Seruatoris nostri  
 Genealogiâ progenitores præcipui  
 quatuor supra quadraginta fuerunt,  
 ex quibus pretiosum istud monile  
 contextum est; ipse verò Seruator qua-  
 dragesimus quintus fuit, qui ceu po-  
 strema gemma seriem absoluit.

Quo



Quo in curioso commento id maxime ad vsum meum depromo, quod, si maiores Christi omnes præstantissimæ temporum suorum margaritæ fuerunt, S. IOSEPHVS eidem numero accensus, post MARTIAM inter omnes facile princeps fuerit: fuit enim S. IOSEPHVS margarita, & excellenti merito hanc nomenclaturam ante quosuis alios comparavit; quod esset vniuersis amore dignis longè amabilior. Atque vt vnio ob suam pulchritudinem, præstantiam, splendorem ac naturæ gratiæ lenocinium omnium sibi amores conciliat; ita S. IOSEPHVS prorsus vnionis ingenium imitatur: neque video, quid vspiam possit amari, si Diuus iste penitus amabilis, alijs cunctis amabilior, & omnium amorum gemma nostros amores sibi non vendicet. Hæc eò fidentiùs dico, quod ea vniuersa possideat, quæ rem creatam reddere amabilem queant: omnia enim S. amoris irritamenta, quæ in se prouocare animos possunt, tam liberaliter in eum sunt.



sunt collata, vt iuxta cuiusdam amato-  
ris sui sententiam, a quadam antono-  
masiâ, Pater amabilis, dici promereat-  
ur; quemadmodum SS. eius Sponsa in  
Litanijs eiusdem encomia continenti-  
bus, Mater amabilis appellatur: vt  
non modò & hæc, & ille Pater ac Ma-  
ter dicantur esse Filij amabilis, hoc est  
IESV vnicè diligendi, sed vterque om-  
ni ex parte amabilis prædicetur.

Et quantum quidem ad hunc Pa-  
trem amabilem attinet, quoniam de il-  
lo solo hîc loci mihi sermo est, statui-  
que huc afferre, cur tantopere sit ama-  
bilis, hoc vnum dicam, eum fuisse om-  
nibus ornamentis summè instructum,  
quibus quæpiam res creata potest alio-  
rum amores promereri.

Tria sunt, quæ possunt hominem  
amabilem & gratiosum reddere, cor-  
poris venustas, morum & agendi gra-  
tia, & vitæ sanctitas: quæ omnia in  
S. IOSEPHO præ quouis alio eximia  
fuere.

Initium

a P. Bineus in lib. de S. Iosepho.



Inittum à pulchritudine corporis  
 ducamus. Illa proximè ad MARIÆ  
 Sponsæ suæ elegantiam accedebat; at-  
 que ut illa formæ exterioris præstantiâ  
 omnes Gratias superavit, ita S. JOSE-  
 PHVS ei suppar cunctis dotibus polle-  
 bat, quæ conferre oris gratiam ac di-  
 gnitatem queunt. Quâ in re multis  
 doctissimorum hominum adstipulor,  
 qui planè sunt persuasi, eum æquè cor-  
 poris venusti omnia decora fuisse  
 complexum, atque fuit animi dotibus  
 insignis. Quid enim? an Deus est cre-  
 dendus Matrem suam, formæ miracu-  
 lum, alteri, quàm præstanti corpore de-  
 spondisse? quis enim parentû, cui fas  
 est, è pluribus filiaë maritum deligere,  
 non lectissimum secernit? Et quis ne-  
 get illum fuisse formosum, quando li-  
 neas in vultu habuit IESV, *Specioso for-  
 mâ præ filiis hominum, a per similes? Fa-  
 cies IESV erat similis faciei IOSEPH, b* ait  
 Ioannes Gerson. Sanctæ insuper Vir-  
 ginis raram venustatem eius species  
 æmula-

a. Psal 44. b. In S. Joseph.



æmulabatur, id asserente S. Bernardi-  
no: *Erat IOSEPH factus ad similitudinem*  
*Virginis Sponsa sua.* Ita quidem, vt hæ-  
tres Gratiaë essent, neque vlla par illis  
pulchritudo posset in cæteris formis  
æstimari.

Fuit itaque S. IOSEPHVS mirè for-  
mosus; cuius facies amœnitate ac le-  
pore nitebat, extremaque specie vi-  
sendus corporis habitu intuentium in-  
se oculos ac animos conuertebat: quo-  
tam illecebroso intuitu quem ad sui  
amorem non inuitaret? quem vt de-  
perires, fatis erat, semel oculo delibâs-  
se. O vt vel semel S. IOSEPHVM MA-  
RIÆ pulcherrimæ Sponsum pulcherri-  
mum liceat cuiquam contemplari; nã  
ille totâ æternitate amandi ac exquisi-  
tis eum calentibusque votis colendi  
causam haberet!

Ceterùm eius vultum tibi verbis ex-  
plicare, aut dictare pulchritudinem  
non possum. Ioanna ab Angelis Lau-  
duni Ursularum Antistita, postquam

S. Ios.

*a Serm. de S. Ioseph.*



S. IOSEPHVM suum in desperato morbo sospitatore[m] præsentem vidit, rogata dein à pictoribus, quibus coloribus effigiem eius possent aptè exprimere, omnia vultûs, frontis, narium, menti, barbæ, capillorum, aliarumque partium lineamenta descripsit; quibus explicatis adiunxit, quantacunque illum arte gratiâque depingerent, nunquam illos oris decus assecuturos, quod ipsa in S. IOSEPHO vidisset. Illis verò denuo quærentibus, num hac illaue specie à se expressum esset approbatura, utcunque, respondit, eum formosum exhibere contenditis, certi esse, mihi longè pulchriorem fuisse visum, quàm eum possitis in telâ formare. Idem tibi occinam, si me vrgeas iubeasque S. IOSEPHI pulchritudinem explicare, formæque illius maiestatem describere. An non omnia dixi, quando eius venustatem IESV, & MARIÆ prius æquiparavi? si ne sic quidem acquiesces; dicam, quod pictoribus illis fuit responsum: finge, pinge quidquid  
 C pulchri



pulchri ac venusti potes; erit tamen  
 omni penicillo ac imagine pulchrior.  
 Ut verò aliquã ex parte tuam sitim re-  
 stinguam, scias velim, cùm Antistitæ  
 illi Parisijs, vbi degebat, S. IOSEPHI  
 imago ab excellenti illo sculptore  
 Gregorio Hureto sculpta exhiberetur,  
 quã prodigiosa eius curatio fuit re-  
 præsentata, illam affirmãsse, ei vultui  
 multum veri oris, & aliquid etiam  
 maiestatis illius inesse, quam illa in  
 S. IOSEPHI facie, cùm ei allato mor-  
 bi remedio spectandum se præberet,  
 conspicata fuisset. Id quod mihi stu-  
 dium iniécit, ad eius exemplar imagi-  
 nem dictandi, etsi minori chartã ex-  
 pressam, qualem in primã huius libri  
 editione videre est: neque infeliciter  
 prototypo & meæ expectationi scul-  
 ptor respondit, non solum quòd situm  
 ac habitum, quo religiosæ illi feminæ  
 visus est, ritè imitatus esset, sed gra-  
 tiam quoque & maiestatem vultûs, quæ  
 intuentes quadam gratiosi obtutûs  
 aviditate sistit, picturæ addiderit,

cas



em  
r.  
e.  
tæ  
HI  
re  
ur,  
e.  
ui  
m  
in  
r-  
et,  
u-  
gi-  
x-  
ori  
ter  
il-  
m  
næ  
ra-  
ui  
tis  
-  
as

eas omnes pulchritudines sectatus,  
quas olim in cælo contemplantur.

Nunc de illius in familiari con-  
gressu moribus agamus, quibus non  
minus quàm forma fuit illustris:  
omnes enim blandæ consuetudinis  
numeros expleuit, cum præstanti  
animo esset præditus, vnde in com-  
muni vitâ agendi dexteritatem fume-  
bat: quippe cum tractandum illi  
cum Dei ac Virginis Filio, cum An-  
gelorum Reginâ esset, si minus eâ  
fuisset gratiâ instructus, nimis apertè  
fuisset inhumanitatis notatus: quin  
agere ac loqui cum Angelis necesse  
habuit, vt sacræ Paginæ nos docent.  
Æquum igitur omnino fuit, eum pla-  
cido ingenio pollere, cui mira in ani-  
mo hilaritas accedebat, semper in  
eius vultum redundans. Adeo præ-  
terea Dei beneficijs, quibus fuit ad  
eam conditionem sublatus, recrea-  
batur, vt ex alacritate illâ singularis  
gratia omnes eius, quascunque susce-  
pisset, actiones condiret. Et quidem



cum secum emolumenta reputaret, quibus ut MARIE Sponsus cumulabatur, non potuit non latissimis cogitationibus abundare, quæ sui vestigium foris eius vultui imprimerent. Nihilominus nunquam ob illam felicitatem adeo se lætitiæ permisit, ut modestiæ in ipso locus non esset, quæ tertia familiaritatis acceptæ pars est. Certè in quotidiano usu in festivius ingenium incidere, cuius indoles blanda, cuius animus ac vultus serenus, cuius modestia virginea cœlesti quadam suavitate aspersa, res est tam gratâ humanitate plena, ut nec Angeli nec Deus ipse talem consuetudinem dedignentur: & hæc ipsa fuit S. IOSEPHO familiaris; qui adeo in amoribus fuit, ut de ipso idem dici possit, quod de altero Iosepho memoratur, Solem videlicet, Lunam ac Stellam adeo illius aspectu raptas, ut adorandum eum sibi putarent: & ita & IESVS, MARIA, & cognati, qui astrorum vicem tenebant, adeo eius congressu,

&amp;

a Gen. 37.



& suavissimo alloquio capiebantur, ut eum facile pro maximis inter mortales delicijs haberent.

Sed num virtutes præteribimus, quæ omnem dotibus illis splendorem contulere, quæ amabilem IOSEPHVM reddiderunt? Quidquid aliunde dixeris aut inquisieris, nihil est virtute amabilius; quæ se possidentibus incredibilem apud omnes amorem quadam vi euincit. Hoc etiam artificio S. IOSEPHVS in amorem se omnium insinuauit: quidquid enim est virtutis expers, est casâ nuce vilius. At hic Diuus omnia complexus, eousque virtutum cunctarum perfectionem est consecutus, ut omnino nulla illi deesset; cum in eo charitas, patientia, mansuetudo, humilitas, pietas, obedientia aliaque decora eminerent, quæ Patrem IESV & Sponsam MARIE decerent. Ac etsi ex se has omnes virtutes non attulisset; cum tamen inter eos fuit versatus, in eorum oculis ac eadem domo reliquam vitæ exegit; fieri non potuit,



quin ad hoc geminum exemplar se conformaret, ac illo virtutum vniuersarum thesauro ditesceret: neque enim deterioris conditionis fuit, quàm soleant ij esse, qui myropolæ officinam ingressi non solum ex odorum illic redolentium fragrantia voluptatem percipiunt, verum etiam eodem ipsi odore afflantur, ac secum suaueolentiam efferunt. Pariratione in omnem partem ipse amabilis euasit: & quemadmodum præ cunctis alijs ei rationes suppetebant, cælestes illas opes nunciandi; ita cæteros quoque omnes amandi causis antecedebat.

Sunt utique plura illicia, quibus amorem promeretur; quorum nonnulla sequentibus pagellis adnumerabimus: hæc autem præmisi, ut viam ad ea sternerem, quæ hoc libro spectavi. Postquam ergo illum agnoscimus amore dignum; superest, ut ametur, nosque ad debitum illi amorem ac pietatem accendamus: quod si pro meritum eius magnitudine præstare nequimus,



quimus, pro animi certè nostri viribus annitatur, vt, quando post IESVM & MARIAM IOSEPHO est nemo amabilior, nemo magis ametur, nisi par illud, cui primos flores & fructus omnium amorum primo loco debemus. At quoniam mihi sequentibus Capitibus de amore illi debito loquendum est, docendumque, quibus modis deceat amabili IOSEPHO amoris iura persolvere, interiungamus.

### CAPVT III.

*De excellenti amore, praestantiq; pietate,  
quâ decet IOSEPHVM pra cae-  
teris Diuis post IESVM &  
MARIAM pro-  
sequi.*

**E**CQUIS S. IOSEPHVM tam amabilem, hunc in IESV & MARIA alterum amoris post Deum scopum, hunc Deo dilectum non amet?